SUMMARIUM.

*Fructus qui inter bona hæreticorum, & aliorum, quorum bona publicaneur ipso jure, inveniuntur, publicantur n.* 194.
*Quid de fructibus perceptis à tertio possessore, in quem illa bona sunt post delictum alienata? Refertur quadam sententia, numer.* 195.
*Refertur alia sententia, n.* 196.
*Explicatur sententia Auctoris, n.* 197. 198. & 199.
*An is, cujus bona sunt jure, publicata, teneatur ad fructus, qui percipi potuere? n.* 200.
*Quid de tertio possessore mala fidei eorum bonorum? n.* 201.
*An teneatur ad fructus, quos delinquens percepisset? n.* 202.
*Quid si à delinquente rem injustè accepisset? n.* 203.
*Ad quem pertineant meliorationes factæ in rebus publicatis? numero* 204.

194 QUæstio ultima. Qualiter confiscentur fructus percepti ex re habita ab hæretico, vel aliis, quorum bona publicantur ipso jure, quamvis res illa sit apud tertium possessorem? Et quidem si agamus de fructibus perceptis, qui inter horum delinquentium bona reperiuntur, non est dubium, quin publicentur, sicut reliqua horum bona. Ut benè ait *Bursatus consil.* 43. *numer.* 11. *volum.* 1. Et ita intelligendi sunt quidam docentes publicationem trahi ad fructus à tempore delicti perceptos. Hi sunt *Archid. cap. Felicis, numer.* 13. *de pœnis, in* 6. & *ibi Joannes Andreas num.* 4. *Dominicus ibi, in principio, numer.* 8. *Franc. ibi* §. *Nullus, numer.* 3. *Felinus cap. De quarta, num.* 33. *versic. Nihilominus, de præscript. &c. Rodulphus, numer.* 38. *limitatione* 3. *de rescript. Marianus Socinus senior c. Judæi, el* 2. *nu.* 14. *de Judæis, &* alios citans *Tiraquell. l. Si umquam, verbo Revertatur, in nova editione num.* 268. *C. de revocand. donat. Angelus de maleficiis, verb. Et ejus bona publicamus, num.* 24. *Lud. Gomez. capit.* 1. *num.* 9. *de rescript. in* 6. *Covarr.* 4. *Decret.* 2. *p. c.* 6. §. 8. *num.* 8. *Tabiena in summa, verbo Assassinus, qu. un. num.* 3. *Tello l.* 4. *Tauri numer.* 45. *in initio, Conradus de contractibus q.* 7. *conclus.* 3. *Leonardus lib.* 2. *de just. cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 64. *Azor. tomo* 1. *inst. mor. lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 5. *Sayro in clavi regia, lib.* 3. *c.* 9. *num.* 30. *Scaccia de judiciis, lib.* 1. *c.* 98, *num.* 12. *Molina tom.* 1. *de just. disp.* 96. *col. ultima.*

195 At dubitatur de fructibus perceptis à tertio possessore, in quem bona illa devenere, & sunt alienata post delictum. Et quid *Montesicus l. Post contractum, nu.* 192. *ff. de donat. Angelus in summa, verbo Pœna, num.* 3. & *ibi Sylv. qu.* 25. absolutè docent fiscum revocare rem illam cum fructibus, apud quemcumque possessorem existat.

196 Sed est distinguendum, an tertius ille possessor sit bonæ fidei, quia delictum alienantis ignoravit, aut malæ, quia id novit. Quando est bonæ fidei, dicit *Peregrinus de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 174. absolutè hunc non teneri reddere fructus. Idem ait *Bursatus consil.* 43. *n.* 8. & 9. *vol.* 1. quando fructus sunt consumpti, & ipsum sequitur *Surd. decisione* 247. *n.* 11. *p.* 1.

197 Verùm dicendum est, hunc eodem modo teneri quo possessor bonæ fidei, nempe ad fructus omnes extantes: ad consumptos verò, quatenus ditior evasit. Et sic intelliguntur Doctores *num. præced.* relati. Quia par est ratio de hoc, & de aliis possidentibus bona fide. Et ita docet *Vasq.* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disp.* 172. *c.* 1. *nu.* 3. & 4. Quare tenendo reliquos bonæ fidei possessores non teneri ad fructus industriales consumptos, etiamsi ditiores evaserint, est idem de hoc dicendum.

198 Limitat *Bursatus* relatus *nu.* 196. ut hoc intelligatur usque ad judicium inchoatum, quasi ex tunc teneatur etiam ad consumptos. Et *Simancas de cathol. inst. tom.* 9. *n.* 59. ait ex tempore litis contestatæ incipere hunc esse malæ fidei, & ad talem teneri. At hoc intelligo ut explicui *n.* 193.

199 Si autem sit malæ fidei possessor, quia nempe novit delictum, tenetur ad omnes fructus perceptos, extantes, & consumptos, instar aliorum possessorum malæ fidei. Quia etsi donatione, aut alio contractu rem illam ab hæretico accipiens non deliquerit, ac fiat illius dominus: at accepit rem illam obligatam à tempore delicti restitutioni illius cum fructibus, post sententiam secutam: cui obligationi se subjecit ratione rei. Ita docent *Bursatus eodem cons.* 43. *n.* 10. *Simancas eodem tit.* 9. *n.* 58. & 59. *Vasquez eo c.* 1. *n.* 5.

200 Sed dubium est, an teneatur hic de fructibus, qui percipi potuere? Et videtur teneri: nam tenetur instar possessoris malæ fidei, at hic saltem in foro externo ad hos tenetur. Item quia *Lud. Gomez c.* 1. *nu.* 9. *de rescript. in* 6. ait teneri ipsummet; cujus bona publicantur ipso jure ad fructus, qui percipi potuere. Sed *Bernard. Diaz in sua practica in nova editione c.* 131. *n.* 6. ait ipsum delinquentem non teneri ad fructus, qui percipi potuere, sed ad solos perceptos. Et ita credo, quia non verè est detentor rei alienæ, eò quòd vel dominium retinet suorum bonorum, aut saltem justam possessionem, donec damnetur.

201 Ex quo deducitur, à fortiori tertium illum possessorem malæ fidei non teneri ad fructus, qui percipi potuere. Quòd non teneatur ad plus, quam verus delinquens. Item quia possidet cum titulo, utpote qui donatione, aut alio contractu recepit à delinquente: in quo eventu nec recipiens à prædone tenetur de his, qui percipi potuerunt, ut diximus *n.* 98.

202 Imò nec tenetur fisco ad eos, quos verè percepisset delinquens ille rem eam apud se habens. Quia etsi ad hos teneatur vero dominio possessor malæ fidei, id evenit, quia in iis illi nocuit: at hic non nocuit in his delinquenti qui erat verus dominus, aut saltem habebat legitimum alienandi jus ante sententiam, cum ex ejus voluntate rem illam acquisierit. Nec etiam fisco nocuit, non enim tenetur illi in plus, quàm delinquens: at hic non tenetur fisco ad fructus, quos percepisset, & incuria sua non percepit. Nec enim tenetur operari fisco.

203 Si tamen quispiam mala aliàs fide rem illam delinquentis accepisset, ut furans, aut ab alio injusto possessore, tenetur fisco eo modo, quo ipsi delinquenti tenebatur, nempe ad fructus, quos inde percepisset delinquens deductis expensis, & mercede laboris, & industriæ. Quia hoc modo tenetur delinquenti, in cujus jus succedit fiscus. Atque in foro externo teneretur etiam ad fructus, qui inde percipi potuere eo modo, quo diximus *n.* 98. teneri possessorem malæ fidei, absque titulo, nam titulo caret, quando ipse furatus est. Si verò donatione, aut allo contractu accepit eam à fure, non tenebitur ad hos, juxta *ibi* dicta: quia habet titulum.

204 Tandem si meliorationes in re confiscata sint factæ, ait *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disp.* 172. *cap.* 1. *num.* 1. eas ad fiscum pertinere revocato contractu, solutis expensis tertio illi possessori. Quia transeunt ad quemcumque cum eo onere, & obligatione, quibus affecta erat res illa apud delinquentem tempore alienationis. Quod quidem est intelligendum, quando eæ meliorationes cedunt domino rei. Quod quando contingat, diximus *n.* 105. Et circa expensas illarum nil novum est dicendum, sed idem prorsus, quod de illis deducendis à similibus possessoribus, diximus à *nu.* 135. *usque ad* 147.

## CAPUT XXIV.

## Qualiter hæreticus sit testandi incapax, & filii liberentur patria potestate, & omnes fidelitate debita hæretico, & servi ejus servitute?

SUMMARIUM.

*An hæreticus testari valeat & testamentum sit irritum, n.* 1. 2. 3. & 4.
*Qualiter amittantur patria potestas, & ejus effectus, & omnis obligatio per hæresim? n.* 3. & 6.
*An pater filium hæreticum alere teneatur vel è contra: & quoties bona publicantur? n.* 7.
*An debens aliquid hæretico teneatur ipsi solvere? n.* 8.
*Qualiter servi per dominii hæresim fiant liberi, & fœtus ancillæ ante sententiam conceptus sit liber? à n.* 9. *usque ad* 23.

1 CIrca potestatem hæretici ad testandum, si jus civile, & regium attendamus, poterat testari, instituendo tamen catholicos hæredes, *auth. Ut cum de appellatione cognoscitur, §. Si quis de pradictis parentibus, vers. Generalem, & l. regia* 7. *tit.* 7. *p.* 6. & *l.* 2. *tit.* 26. *p.* 7. At standum est jure canonico *c. Excommunicatione* 13. §. *Credentes, de hær.* ubi eum intestabilem esse decernitur. Quod benè tradunt *Greg. Lop. ea l.* 7, *verb. Catholicos, & ea lib.* 2. *verb. De sus fijos, Simancas* alios referens *de cath. inst. tit.* 9. *à n.* 3. *Tello l.* 4. *Tauri nu.* 24. *Penna in directorio Inquisitorum* 2. *p. commento* 9.

2 Quod quidam extendunt, ut habeat verum etiam non secuta sententia criminis declaratoria. Quia text. *d.* §. *Credentes*, sic dicitur: *Sit intestabilis*. At verbum, *sit*, importat canonem latæ sententiæ, ut testantur multi, quos refert *Tiraquell. l. Si umquam, verbo Revertatur, in nova editione num.* 180. *C. de revoc. donat.* Et de apostata videtur probare *l. regia* 5. *tit.* 25. *p.* 7. ibi: *Apostata no puede fazer testamento desde el dia que fuere juzgado por apostata.* Ita docent *Perez. de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 172. *versic. Notandum tamen, Meres de majoratu, in* 1. *editione p.* 1. *qu.* 1. *n.* 91. *Cervantes l.* 4. *Tauri num.* 40. & videntur clarè tenere *Greg. Lop. l.* 4. *in fine, tit.* 26. *p.* 7. & *Penna in directorio* 3. *p. commen.* 165. *vers. Rursus*, ubi dicunt hæreticum à die commissi criminis esse incapacem testandi. Et videtur tenere *Covarr. Clem. Si furiosus* 1. *p.* §. 2. *n.* 2. ubi ait sodomitam nondum condemnatum nequire testari, eò quòd infamis sit, & à die patrati criminis dominio omnium bonorum privatus. Quod fortiùs in hæretico militat. Et *Aragon.* 2. 2. *q.* 11. *ar.* 3. *fol.* 348. *col.* 1. *coroll.* 4. ubi ait testamentum esse nullius roboris, quia est de bonis jam ad fiscum pertinentibus.

3 At certius est, posse testari ante sententiam criminis declaratoriam, & ea secuta revocari testamentum, sicut, & quascumque alienationes per ipsum factas. Ducor, quia similiter prohibetur omnis alienatio bonorum ab ipso facta, & tamen sustinetur ante sententiam, ita ut accipiens sit tutus in conscientia usque ad illam. (Ut probavimus *c.* 22. *n.* 52.) Cur ergo non dicemus idem de testamento? Secundò quia *d.* §. *Credentes*, ubi hæc pœna imponitur, dicitur: *Sit intestabilis*. At verbum, *Sit*, cum sit futuris temporis importat sententiam ferendam. Ut communior sententia testatur, quam



quam multos referens tuetur *Tiraquellus eo verbo Revertatur, num.* 182. & 183. Tertiò ex *l. regia* 16. *in fine, tit.* 1. *p.* 6. ibi: *Los hereges despues que por sentencia son condenados de heregia, no pueden fazer testamento.* Ubi *Greg. Lop. verbo Despues*, ait testamentum ante factum esse irritandum, ubi non dixit esse irritum ipso jure. Et *l.* 4. *in fine, tit.* 26. *p.* 7. *Non deve de valer su testamento desde el dia que fuere juzgado por herege.* Nec obstat *Greg. Lop. ibi, in fine*, dicere corrigi per jus canonicum. Quia si lex illa intendat sententiam confiscationis non retrahi ad revocanda testamenta facta à die commissi criminis, fateor eam jure canonico corrigit: si verò intendat non esse omninò irrita, donec hæreticus declaretur, non invenio ubi jure canonico corrigatur. Atque ideò hanc sententiam tenet loquens de crimine læsæ majestatis humanæ *Decianus in sua practi. lib.* 7. *cap.* 40. *num.* 20. Et in crimine hæresis in hanc inclinat, etsi dubius, *Tello l.* 4. *Tauri, num.* 34. Et tenet *Salzedo in practica Bernardi Diaz. c.* 86. *vers. Punitur etiam*. Et meliùs *Molina tomo* 1. *de just. disp.* 95. *col.* 12. *vers. Secundum est*, ubi ait licitè posse hæreticum ante condemnationem bona sua transferre in alium donatione, aut ultima voluntate. Idem *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disp.* 171. *cap.* 1. *num.* 11. ubi ait posse eum, cujus bona sunt ipso jure publicata, relinquere ex testamento hæreditatem filiis, & filios posse capere ex testamento, & ab intestato.

4 Imò, & post sententiam poterit de bonis non publicatis testari. Quia jus canonicum interdicens illi testari intelligitur de bonis, quæ publicantur. Et satis favet *l. regia* 4. *Tauri, hodie l.* 3. *tit.* 4. *lib.* 5. *nova recopil.* concedens generaliter testandi facultatem quibuscum reis, de bonis non publicatis. Atque ita docent *Castillo ea l.* 4. *Tauri, verb. Furem confiscandos, & ibi Avendanno Gl.* 7. *num.* 11. Et inclinat, quamvis dubius, *Matienzo eodem tit.* 4. *l.* 3. *Glossa* 7. *numero* 5.

5 Circa patriam vero potestatem, & omnem obligationem fidelitatis debitam hæretico, certum est per hæresim paternam eximi filios à patris potestate, ac sui juris fieri. Habetur expressè *cap.* 2. §. *finali, de hæret. in* 6. Hoc extendit *Eymericus in directorio Inquisitorum* 3. *parte quæst.* 116. ad filios receptatorum, defensorum, & fautorum hæretici. Sed merito id rejicit *Penna ibi, commento* 165. quòd nullo jure hæc pœnæ extensio probetur. Atque *cap. finali, de hæretic.* decernitur omnes aliqua obligatione hæretico adstrictos sive jurisjurandi, sive fidelitatis, sive obsequii, sive alterius pactionis, aut promissionis liberari. An verò conjux fidelis possit hæretico debitum negare, & ab eo divertere: satis diximus *libro decimo de matrimonio, disp.* 15. & 16.

6 At dubium est, an pœna hæc sententiam criminis declaratoriam exigat? *Azor. tomo* 1. *Institutionum moralium, lib.* 8. *c.* 13. *qu.* 1. refert tacitis Auctorum nominibus, quoldam sentire pœnam absolutionis ab omni fidelitatis debito incurri, etsi hæreticus occultus sit. Alios autem refert dicentes non incurri, nisi denuntiatus excommunicatus sit, aut notorius clerici percussor. Atque in nostris terminis, *Simancas de cathol. inst. tit.* 9. *num.* 206. satis obiter, & nulla ratione adducta, docet exigi sententiam criminis declaratoriam, ut filius patris hæretici potestate liberetur. Ejusdem sententiæ videtur *Azor. tomo* 1. *inst. moralium, lib.* 8. *cap.* 13. *qu.* 1. nam initio illius capitis dixerat omnem obligationem cum hæretico contractam cessare per hæresim, & filios effici sui juris, nec valere substitutionem pupillarem. Et statim *quæst. prima* generaliter quærit, an hujusmodi pœnis occultus hæreticus afficiatur. Et concludit dicens se existimare omnes obligationes, quibus aliqui sunt hæreticis adstricti, statim cessare, ita ut hæreticus jus non habeat, sicut nec habet bonorum dominium: at possessionem retinere, donec crimen judicis sententia declaretur. Sed verius est, statim nulla expectata sententia filios effici sui juris. Quia *cap.* 2. §. *finali, de hæreticis, in* 6. appellantur filii sui juris dicitur emancipationem factam antequam pater declaretur hæreticus, esse nullius momenti, quasi patria potestas ad ejus valorem petita cessarit. Et ita tenent *Gl. ibi verbo Desierint, Castro libro* 2. *de justa hæreticorum punitione capite septimo, Penna in directorio Inquisitorum* 3. *parte quæst.* 116. *commento* 165. *Molina tomo primo de justitia, disput.* 9. *col.* 7. *vers. Ab hac regula, & disp.* 229. *in tertio modo liberationis à patria potestate, Azor. tomo secundo instit. moralium, lib.* 2. *cap.* 22. *quæst.* 6. *Rebellus de justitia par.* 1. *libro primo quæst.* 7. *sectione* 2. *numer.* 23. *Sayro in clavi regia lib.* 3. *cap.* 9. *numero* 30. & *lib.* 9. *cap.* 7. *numero* 7. *Leonardus lib.* 2. *de justit. cap.* 3. *dub.* 5. *numero* 23. *in fine*. Quare emancipatio, & substitutio pupillaris facta ab hoc hæretico non valebunt. Ut benè tradunt *Castro, & Penna ibidem*. Quia pater caret jam patria potestate ad horum valorem petita.

7 Sed difficultas est, an eximatur quoque filius ab obligatione naturali alendi patris pauperis, ob patris ipsius hæresim. Et quidem quando statuto, aut lege cavetur bona patris publicari, reservando aliquas portiones filiis ex bonis patris ipsi omninò ablatis, frequentissima est sententia non adstringi filios ex his bonis patri ablatis, ac reservatis ipsis, ad alendum patrem. Ducitur que ex *c.* 1. §. *Si quis hominem, de pace renenda, & ejus violatoribus, in usibus feudorum*. Ita tradunt *Baldus auct. Bona damnatorum, nu.* 4. *vers. Hic quaro, C. de bonis damnat. Tiraquell.* alios referens, *de retractu lignagier*, §. 1. *glos.* 9. *num.* 72. *Joann. Lupus rubrica de donat. inter vir. & uxor.* §. 64. *nu.* 13. & *l.* 10. *Tauri, num.* 9. explicans in hoc posteriori loco, nisi filius habeat alia bona. *Surd. cons.* 116. *num.* 25. *lib.* 1. & *de alimentis tit.* 1. *q.* 31. *num.* 23. & *q.* 36. *num.* 2. & 14. & *tit.* 7. *q.* 14. *n.* 17. & *num.* 28. & *tit.* 9. 25. *num.* 59. & *q.* 32. *num.* 10. & *quæst.* 38. *num.* 4. Et alii multi, quos refert *Zavallos in suis communibus, tomo* 3. *q.* 779. *num.* 153. At jure optimo latissimè, & optimè *Zavallos ibi à n.* 154. plura adducens, & probans eum textum nil prorsus probare, impugnat hanc sententiam. Nec ampliùs in hoc insisto, eò quod sit extra præsens intentum. Sed ad nostros hæresis terminos descendendo, quibusdam placet teneri filios catholicos ad alendum patrem hæreticum. Quia hæc obligatio ex jure naturali oritur, nec est aliquod jus humanum illam auferens in pœnam patris. Non ergo est filius ab illa eximendus. Sic sentire videtur *Glossa c.* 1. *verbo Fideles d.* 30. ubi patrem hæreticum egentem ait præferendum extraneo Catholico in eleemosyna à filio eroganda. Quod eisdem verbis tradit *l. regia* 8. *tit.* 23. *p.* 1. Et tenent *Castro lib.* 2. *de justa hæreticorum punitione c.* 7. *Surdus de alimentis tit. . quæst.* 18. *num.* 3. & *qu.* 19. *à num.* 3. Cæterum verius est non teneri, nisi pater extremè indigeat. Quod docent *Lara l. Si quis à liberis, §. Et si impubes, num.* 10. *ff. de liberis agnosc. Surdus de alimentis tit.* 7. *q.* 14. *à num.* 19. *usque ad* 25. & sic explicat legem regiam in contrarium allegatam, & locum ipsiusmet hic relatum, ubi dixerat teneri filium, ut intelligantur in extrema hac necessitate. Fundamentum autem est, quòd majori vinculo sit pater adstrictus ad filios alendos, quàm è contra, ut ex se constat. At pater non tenetur alere filium hæreticum. Ut cum aliis optimè probat *Surdus de alimentis titul.* 7. *quæst.* 2. *à num.* 6. contra alios, quos *ibi* refert *num.* 5. Quia pater potest filium hæreticum exhæredare. Ut constat ex *authen. Ut cum de appellatione cognoscit. §. Cassus, versic. Si quis de prædictis, & l. regia* 7. *titul.* 7. *p.* 6. At frequentissima est Auctorum sententia, quam multis citatis optimè tradit *Molina de primogen. lib.* 2. *c.* 16. *num.* 1. & *duplici seq.* ut ex eisdem causis, ex quibus potest filius exhæredari, possint ei negari alimenta extra necessitatem extremam. Similiter ergo filius non tenebitur ad alendum patrem hæreticum extra dictam necessitatem. Præterea quia cum sint correlativa, dispositum in uno censetur in alio disponi.

8 Dicendum tamen est, debentem aliquid hæretico, teneri ipsi solvere, donec condemnetur. Quia possessionem, & administrationem suorum bonorum habet. At secuta condemnatione nequit hæretico solvere, sed fisco, ad quem universa hæretici bona pertinent. Ita *Azor. tomo* 1. *lib.* 8. *institut. moral. cap.* 13. *quæst.* 2. Quamvis *Abb.* quem *ibi*, refert, & *Castro lib.* 2. *de justa hæret. punit. c.* 7. *paulò post principium*, dicant etiam ante sententiam teneri hunc fisco solvere: Quia ipsi in ea sunt sententia, ut hæreticus teneatur ante condemnationem bona fisco restituere.

9 Circa ultimum tractandum, nempe qualiter servi hæreticorum libertatem acquirant. Quidem censent non acquirere: sed ad fiscum pertinere, ac cum aliis hæreticorum bonis publicari. Quia nullus reperitur textus ea libertate illos donans. Ita *Joannes Andr. c.* 2. *numer.* 5. *ad finem., de hæret. in* 6. & *ibi Dominicus in fine, Ananas c. finali, num.* 4. *de hæret. & ibi Marianus Socinus*, Et quidam Jurisperiti Lusitani, qui convenere ad judicium de hac referendum. Ut refert *Molina numero seq.* allegandus. Et est satis probabile.

10 At verius est, Christiana hæreticorum mancipia libertate donari. Quod probatur ex *l. Manichæos* 4. *in fine C. de hæret.* & ita explicat illam *Glossa ibi verb. Extra noxam, & ex c. finali, de hæretic.* quod omnes obligatos hæretico declarat absolutos à fidelitatis, & dominii debito. Nec obstat, si dicas inde tantùm colligi ea libera manere à dominii obsequio, non tamen absolutè libera, sed transire in libertatem dominium. Sicut contingit in mancipiis infidelibus, quæ obsequio domini liberantur: non tamen libera sunt. Quia hanc solutionem, & alias, quæ traduntur aliis textibus, quibus hæc sententia confirmatur, optimè confutat *Molina tom.* 1. *de just. tota disput.* 40. ubi latissimè hanc libertatem probat. Idem sustinent *Castro lib.* 2. *de justa hæret. punit. c.* 7. *Simancas de cathol. inst. titul.* 61. *n.* 8. *Penna in directorio Inquisitorum* 3. *part. quæst.* 119. *commento* 168. ubi instructionem quamdam Hispalensem affert, in qua hoc deducitur, *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *inst. moral. cap.* 12. *quæst.* 7. & *l.* 5. *c.* 7. *quæst.* 8. *Idem Simancas, eodem tract. tit.* 9. *num.* 96. *Dec. in sua pract. l.* 5. *c.* 44. *num.* 22. *Vasq.* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disp.* 196. *c.* 2. *num.* 19. *vers.* 12. & *disput.* 172. *c.* 3. *num.* 15.

11 Hinc deducitur mancipia, quæ Christiana non sunt, minimè manere libera: sed ad fiscum cum aliis hæretici bonis pertinere. Quia nullo jure libertas illis conceditur. *Penna, Molina, Azor. num. præced.* alleg. Qui tamen hoc intelligit, nisi catholicæ religionis studio dominos hæreticos denantiarint; vel nisi servi illi catechumeni sint. Quia in hoc duplici casu censet *Azor.* manere servos liberos. At *Penna ibidem* tantùm ait rationi consonum esse, ut in his casibus libertate donentur. Et ego ita credo, & ideò non eo ipso eam libertatem consequi. Quòd de solis Christianis id statutum sit.

12 Secundò deducitur, hæreticum, cui intra gratiæ tempus redeunti bona beneficio principis restituuntur, minimè ser-

servorum dominium ricuperare. Quòd liberas semel acquisita revocari non debeat, *l. 1. & 2. C. si adversùs libert.* Ita *Simancas de cathol. institt. tit. 61. numer. 9. Penna, & Molina* relati *num. 10.*

13 Hanc tamen libertatem acquiri cum effectu intelligo post declarationem hæretici à judice factam; atque eam sententiam retrotrahi usque ad diem commissi criminis. Sicut *numero quinto* explicuimus cessare patriam potestatem, ac omne fidelitatis debitum. Et eadem ratione probatur.

14 Intellige tamen mancipia Christiana acquirere hanc libertatem, si ante domini hæresim possessa sint. Nam si post hæresim, si jure hæreditario, aut legati, donationisve, dicendum est, sicut de aliis sic acquisitis diximus *cap. præc. num. 2.* Si verò ludo, emptione, aut alio contractu, pertinebunt ad fiscum. Quia à tempore hæresis non acquisivit hæreticus dominium servi, sicut nec aliarum rerum. Et ideò judicandum est de his servis, sicut de aliis rebus post hæresim acquisitis. Quòd si acquisiti sint post hæresim at tempore, quo in se reversus dominus resipuerit ab hæresi, ac catholicus erat, non acquirent libertatem. Quia bona tunc acquisita non perdit hæreticus. Ut probavi *cap. 14. num. 23.*

15 Quando ergo juxta prædicta servus libertatem acquirit: majus dubium est in singulis casibus id dijudicare. Quia aliquando servus est viri hæretici, qui dotem, & reliqua uxoris bona, aut aliorum debita solvendo non est. Aliquando fuit datus in dotem viro hæretico. Quandoque est constante matrimonio acquisitus. Aliquando est multorum hæredum habentium hæreditatem indivisam, & unus solus est hæreticus. Hi ergo casus explicandi sunt. Tota autem res hæc pendet ex cognitione veri dominii illius servi, ad dijudicandum fiat liber, nec ne. Nam si conjux, cujus est dominium, incidit postea in hæresim, manet servus liber, præterquam in uno, vel altero casu. Ut ex sequentibus corollariis constabit.

16 Hinc primò deducitur, effici servum liberum, sive vir, sive fœmina illum attulerit, etiamsi hæc tradiderit illum in dotem viro, quando post servum acquisitum, & ante initum matrimonium conjux, qui erat dominus, incidit in hæresim. Ratio est, quia jam ille servus à tempore hæresis domini liber erat. At libertas semel acquisita revocari nequit. Ut *num. 12.* diximus.

17 Secundò deducitur, si vir post matrimonium in hæresim incidat, & attulerit ipse servum, habeat aliunde bona, quibus solvat dotem, arrhas, & parapherna uxori, eum manere liberum. Quia dominus est hæreticus, ac nihil est ei libertati obstans. At si dominus non sit hæc solvendo, non manebit servus liber, donec vel ipse, vel alius pro eo, servi æstimationem solvat. Ratio est, quia omnia bona viri sunt tacitè hypothecata pro his uxoris bonis, *l. 17. titul. 21. p. 4.* tradit cum aliis *Covarr. 1. variar. cap. 7. num. primo.* Et cum hæc hypotheca ante delictum contracta sit, præferenda est. Ut docent multi, quos refert, ac sequitur *Castillo, l. 77. Tauri, num. 10. versic. Quare pro istius.* Item quia amissio bonorum hæretici non debet aliis innocentibus damnola esse: sed jus suum est omnibus reddendum. Pœna enim unius alteri nocere non debet. Ut benè probat, *Simancas de catholic. institut. titul. 9. num. 64.* Quare idem dicendum est, ubi talia bona essent aliis debitis hypotheca, quibus non esset solvendo maritus. Cum enim hypotheca hæc fit ante hæresim, eadem ratione præferenda est: & dicendum quod diximus de bonis uxoris.

18 Tertiò deducitur, quando uxor attulit servum, ac post matrimonium fit hæretica, sic distinguendum esse. Si attulit in bona parapherna, aut matrimonio jam inito, dum adhuc perseveravit in fide, acquisivit hæreditate, legato, aut dono servum illum, manet liber. Quia servus erat uxoris, ac proinde ob hæresim amisit dominium illius. Si attulit in dotem, si dos fuit inæstimata, aut (quod idem est,) tali æstimatione, quæ servi illius venditionem non faciat, tunc si vir est hæreticus, non manet servus liber. Manet autem liber, si uxor hæretica sit. Ratio est, quia tunc dominium servi non est viri, sed uxoris, & improprie, ac figmento juris dicitur vir dominus ad eos solos effectus, quos jus explicat *l. in rebus C. de jure dotium.* Et esto diceremus cum aliquibus virum esse dominum dotis hujusmodi, non obstaret huic sententiæ. Nam taliter est dominus, ut nullo modo possit alienare, nec per contractum, nec per delictum, sed in eadem specie reddi debet. Ut benè docet *Antonius Gomez l. 50. Tauri, numero 42.* Si verò dos data est æstimata ea æstimatione, quæ emptionem faciat, & vir est solvendo dotem aliis bonis, estque ipse hæreticus, manet servus liber. Quia tunc est servus suus, & solam æstimationem solvere tenetur uxori, quando dos ipsi reddenda sit, *l. Quoties, C. de jure dotium.* Et tradit cum aliis *Antonius Gomez. d. l. 50. num. 44.* Quare si sola uxor esset in hoc casu hæretica, non manet liber. Quia ipsa ejus servi dominium non habebat. Si autem in hoc casu vir non est solvendo dotem aliis bonis, & ipse sit hæreticus, non manebit servus liber, donec ipse servus, vel alius pro eo solvat pretium. Conflat ex dictis in corollario præcedenti. Quæ à fortiori habent locum in hoc casu: cum uxor dominium utile, & subsidiarium habeat, quando dos æstimata, & reperitur in specie, & vir non est illam solvendo, ac ideò potest illam uxor vendicare, ac præfertur in illa quibuscumque viri creditoribus, *l. In rebus, C. de jure dotium.* Et cum aliis tradit *Covarr. practicis quæstion. cap. 28. numero 8.* Si vero servus, vel alius pro eo pretium offerat, manebit liber. Quia revera dominium erat mariti, & tantùm uxor in subsidium, & defectum bonorum, quibus solvatur sibi dos. Quare sicut tertius, cui vir servum vendidisset, satisfaceret uxori volenti servum vendicare defectu bonorum viri, offerendo ei æstimationem: (Ut benè probat *Covarr. eo numero octavo*,) sic & servus. Quia sicut ille tertius, qui servum emerat, est creditor viri, sic servus respectu libertatis. At si in hoc casu uxor est hæretica, non manet servus liber. Quia revera non habebat dominium directum illius servi, sed utile, & subsidiarium. Nec uxori quidquam debetur verè præter pecuniam: quam quocumque reddente nomine viri volentis ea solvere uxori, uxor nullum jus haberet ad servum. Quare cum servus succedat loco pecuniæ debitæ uxori, succedet fiscus in eo servo, sicut in quibuscumque pecuniis debitis uxori. Item quia tunc redit hoc dominium ad uxorem, quando dotem amisit, quia declarata est hæretica: & vir compellitur dotem fisco tradere. At jam fiscus jus acquisierat.

19 Quartò deducitur, si servus constante matrimonio ante hæresim emptus sit, sic distinguendum esse. Si fuit emptus pecunia dotali, ex uxoris consensu, si ipsa est hæretica, manet liber: secùs autem si vir sit hæreticus. Quia uxor habet dominium hujus servi, & non vir, *l. Res quæ ff. de jure dotium, & l. regia 49. titul. 5. par. 5.* Ubi *Gregor. Lopez verbo Voluntad*, & cum aliis tradit *Antonius Gomez l. 50. Tauri, num. 36. in fine.* Si verò absque consensu uxor, & vir est solvendo dotem aliis bonis, si ipse est hæreticus, manet servus liber: secùs si uxor hæretica sit. Ratio est, quia ille servus non est uxoris, sed viri, *l. Ex pecunia, C. de jure dotium, & Anton. Gomez dict. num. 36. in fine.* Si autem vir non sit solvendo dotem aliis bonis, & vir est hæreticus, non fit liber servus, donec æstimationem solvat. Si verò ipsa est hæretica: nullatenus fiet liber. Quia dominium directum est viri, & uxor solùm habeat dominum utile, & subsidiarium. Ut tradunt *Gregor. Lopez, & Antonius Gomez* proximè alleg. Quare fiscus habebit jus, ut vir tradat sibi servum, vel æstimationem. Ut diximus in simili casu *num. præcedenti.*

20 Quòd si servus ille non sit emptus pecunia dotali, sed permutatus cum alia re conjugis alterius: vel emptus pecunia redacta ex venditione alicujus rei alterius conjugis, cum ejus dominium sit illius, cujus erat illa: utpote in locum illius subrogatæ: (ut cum aliis docet *Gutier. libro secundo practic. quæst. 117. numero secundo,*) erit libet, quando conjux dominus illius hæreticus est. Id tamen observandum est, si vir cujus est servus ille, sit hæreticus, spectandum esse an sit solvendo dotem, & alia uxoris bona: juxta dicta *numero 17.* Cum omnia bona viri præsentia, & futura sint tacitè pro illis hypothecata. Inspiciendum quoque est, an sint bona viri tacitè, vel expressè pro aliis debitis hypothecata, antequam in hæresim incurreret. Quippe illa omnia præferenda sunt. Ut *eo numer. 17.* diximus.

21 Tandem si non sit emptus pecunia dotali, nec permutatus cum alia re, nec emptus pecunia redacta ex aliqua re alterius conjugis, sed emptus alia pecunia alterius conjugis, aut communi: tunc si tempore, quo datur sententia hæresis declaratoria, quo bona conjugum dividuntur, ut hæretici conjugis bona publicentur, non sunt lucra ultra capitale utriusque, servus est viri. Et ideò attendendum est, an ipse sit hæreticus, sitque solvendo dotem, & alia bona uxoris, & alia debita, ad quæ ejus bona sunt hypothecata. Et tunc servus erit liber. Si autem solvendo non sit, minimè erit liber, donec solvat æstimationem. (Ut *num. 17.* explicuimus) Si verò sint lucra, & servus cedat in lucrum, utpote qui completo utriusque capitali superesset, (nam ante completum utriusque capitale non numeratur inter lucra quodcumque matrimonii tempore acquisitum) tunc erit servus communis utriusque conjugis, & tunc uteruter conjux in hæresim incidat, manet servus pro ea parte, qua alterius conjugis hæretici est liber. Non quod libertas dividatur, est enim individua, sed ad hunc sensum, ut solvendo æstimationem suæ partis conjugi catholico, manebit omninò liber: at interim manet servus. Juxta id, quod deciditur de servo communi, quando ab altero domino manumittitur: nam si servus, vel alius pro eo alteri domino partis suæ æstimationem solvat, manebit omninò liber: at dum non solvit, manet servus, *l. 1. C. de communi servo manum, & l. regia 2. tit. 22. p. 4. in fine.* Et quamvis expressis verbis non decidant illæ leges interim manere servum, at expressè ex illis colligitur. Nam *ea l. regia 2.* dicitur debere solvi partem æstimationis aliis dominis, & subditur: *E dende en adelante sera libre.* Et ita tenet *ibi Gregorius Lopez verb. E dende.* Et *Glossa d. l. 1. verbo Necessitatem, & l. 2. verbo Fiat, de communi servo manum.* Et est textus expressus *l. Si servus communis, ff. de vulgari.* Dum autem dicitur solvente altero partem æstimationis manere liberum servum, & cogi alterum dominum acceptare, intelligitur, si is tertius solvat, ut servus consequatur libertatem. Quia favore solius libertatis hoc statuitur. Sic *Gregorius Lopez ea l. regia 2. verb. Otro alguno,* Qui etiam benè notat *ibi verb. E dende*, reliquos dominos non posse cogi fidem habere de pretio: sed statim solvendum esse.



22 Atque hoc idem, quod proximè diximus de servo communi utriusque conjugis, quando alter solus in hæresim incidit, dicendum est, quando est communis plurium hæredum, & est hæreditas indivisa, vel quomodocumque plurium dominorum, & alter in hæresim labitur. Quia eadem prorsus est ratio.

23 Id demum observandum est, Quando serva hæretici parit ad discernendum, an partus sit liber, videndum est an mater, quam partus quo ad hoc sequitur, fuerit propria hæretici, & consequenter libera in casibus expressis *à nu. 16. usque ad 21.* tunc enim cum sententia retrotrahatur ad diem commissi criminis, sicut ex tunc mater erat effecta libera, ita & fœtus. Si vero mater non erat libera, dopec solveret alteri conjugi, aut cohæredibus æstimationem, quorum erat serva communis, nec fœtus erit liber: utpote qui ex serva habitus est sed omninò erit servus. Et cum sit post hæresim acquisitus, dimidia pars ad hæreticum pertinens erit fisci. Juxta dicta *numer. 14.* Si verò mater non erat plurium dominorum, sed tantùm habet, ut non omnimodam libertatem acquirat, donec hæreticus solvat, vel alius æstimationem creditoribus, quibus bona hypothecata erant: existimo fœtum fore liberum. Quia mater verè manfit libera ob domini hæresim, cujus solius erat: nec enim umquam in aliorum creditorum dominium transiit, sed solùm ut pars bonorum domini erat hypothecata pro illis debitis: ac proinde transit in libertatem cum eo onere: ficut si tunc à domino manumitteretur. Atque idem intelligo in casu expresso *num. 18.* quando nimirum, serva æstimata ita ut æstimatio faceret venditionem, traditur viro in dotem, & postea labitur in hæresim, fœtus enim habitus ex illa serva post hæresim viri verè erit liber. Ac proinde quamvis in subsidium, & defectum bonorum viri possit uxor vindicare matrem, at non poterit filium. Quia (*ut eo num. 18.* explicuimus,) dominium omninò erat viri, quamvis cum eo onere, ut deficientibus bonis tempore reddendæ dotis, posset uxor vindicare, donec æstimatio solvatur valoris servæ: vel si non integer ejus valor deficiat ad complendam dotem, id quod deficit. Ergo cum dominus hæreticus acquirere non potuit dominium fœtus, quia jam mater verè libera erat, nec jus habebit uxor, nisi ad vindicandam matrem. Sicut si census esset datus in dotem ea æstimatione, quæ facit venditionem, deficientibus postea bonis ad solvendam dotem, uxor solùm jus haberet vindicandi illum censum à quovis possessore, non autem redditus ab ipso perceptos. Et clarius exemplum sit. Si vir tradat in dotem ancillam sic æstimatam, & manumittatur à viro, vel à domino, cui vir vendit, absque uxoris consensu; deficientibus postea bonis ad solvendam dotem, solam ancillam in dotem traditam vindicabit uxor, non autem fœtum tempore manumissionis habitum, qui liber est.

## CAPUT XXV.

### Qualiter ob hæresim, vel apostasiam à fide irregularitas incurratur?

SUMMARIUM.

*An hæresi, vel apostasia sit per se adnexa irregularitas? Refertur quadam sententia, num. 1.*
*Sententia Auctoris, num. 2.*
*An possint hæreticus, & apostata in ordine antea suscepto ministrare? num. 3.*
*An hæreticus omninò mentalis sit irregularis? num. 4.*
*An fictè hæreticus, vel apostata sive sponte, sive timore, sit irregularis? Refertur duplex scientia, num. 5.*
*Sententia Auctoris, num. 6.*
*An fautores, defensores, receptatores hæreticorum sint irregulares? num. 7.*
*An solum sint irregulares, quando hæ beneficia conferunt in hæreticos formaliter? num. 8.*
*An sint irregulares ministrantes sacramenta hæretico? nn. 9.*
*An suspecti de hæresi sint irregulares? nu. 10.*
*An pactum cum damone ineuntes, eum invocantes, colentes responsa ab eo petentes, sint irregulares? num. 11.*
*An coacti per inquisitores abjurare de vehementi, sint irregulares? num. 12.*
*Quis dispenset in omnium prædictorum irregularitate? nu. 13.*
*Quis cum illis dispenset administrandum in ordine suscepto? numero 14.*
*An virtute* Trid. sess. 24. cap. 6. de reformat. *possit Episcopus dispensare in irregularitate hæretici, vel apostatæ occulti?*
*Refertur duplex sententia, num. 15.*
*Explicatur sententia Auctoris, num. 16.*
*Quid possit circa hanc irregularitatem Episcopus, si ea facultas Tridentini sit revocata quo ad absolutionem ab hæresi?*
*Refertur quadam sententia, num. 17.*
*Sententia Auctoris, num. 18.*
*An posse inquisitores ab hac irregularitate absolvere? num. 19.*
*Quis dispenset cum iis, qui timore apostatarunt à fide? Refertur quadam sententia, num. 20.*
*Explicatur sententia Auctoris, num. 21.*
*Quid, si ii timore gravi, vero animo apostatarunt à fide? numero 22.*

1 NON modica est difficultas, an hæresi sit secundùm se adnexa irregularitas, ac proinde quamvis hæresis occulta sit, incurratur. Quidam censent hæresi secundùm se non adnecti irregularitatem: atque ita hæreticum, vel apostatam à fide, quamdiu notorius non est, sive facti evidentia, sive propria confessione in judicio, sive sententia judicis, minimè esse irregularem; sed tantùm quando notorius est aliquo ex his modis. Atque tunc dicunt esse irregularem non irregularitate hujus criminis peculiari, sed irregularitate generali, quam omnia crimina enormia notoria inducunt. Ducuntur autem, quòd nulla irregularitas inducenda sit, nisi jure exprimatur, *c. Is qui 18. de sententia excommunicat. in 6.* At si textus omnes à contraria sententia allegati perpendantur, irregularitatem hæresis non exprimunt; aut de hæresi notoria loquuntur. Atque ita docet *Perez lib. 8. ordin. tit. 4. l. 3. fol. 93. ad finem prima partis tractatus hæresis.* Qui minùs benè addit secùs esse attento decreto *Tridentini sess. 24. de reform. c. 6.* Quippe id decretum nullam crimini occulto irregularitatem statuit: sed solam Episcopo facultatem dispensandi concedit, quando ob crimen occultum incurritur. Eamdem sententiam tenent *Enriquez lib. 14. de irregul. cap. 4. n. 6. & cap. 6. num. 2. Emmanuel Rasumma verbo Irregularitas*, ubi de irregularitate ex defectu animæ *num. 2. Sayro thesauro casuum tomo 1. lib. 7. cap. 12. nu. 16. Avila de censuris p. 7. disp. 4. dubio 2.*

2 At verius est, irregularitatem per se adnecti hæresi, & ideò hæreticum externum, & apostatam, quantumvis occultos, effici irregulares. Ducor, quòd *c. Saluberrimum, & c. Convenientibus 1. q. 7. & c. Nos consuetudine d. 12.* clerici ab hæresi redeuntes permittuntur in ordine suscepto ministrare, non tamen ulteriùs ascendere. Quod quidem non ratione infamiæ, sed ob hæresis culpam statutum videtur. Et quamvis in his textibus nulla laicorum mentio fiat; nec etiam suspensionis, aut privationis executionis ordinum jam susceptorum. At Doctores statim allegandi id meritò ad laicos hæreticos, ut nullatenus promoveri ad ordines valeant, extendunt. Quippe hæc promotio non interdicitur clericis hæreticis, eò quòd clerici sint: sed ratione criminis. Atque ideò comprehendit laicos ejusdem criminis participes. Qualiter autem intelligatur posse clericos hæreticos in susceptis ordinibus ministrare, explicabo *numero sequenti*. Secundo, quia Clemens VII. in quadam constitutione incipiente, *Cum sicut*, quam refert *Penna in fine directorii Inquisitorum*, inter bullas Apostolicas ipsorum, concedit Inquisitoribus facultatem dispensandi in irregularitate contracta ob hæresim occultam. Atque adeò supponit irregularitatem contrahi ex ipso delicto. Tertiò, quia irregularitas generalis orta ratione infamiæ consurgentis ex delicto enormi notorio notorietate facti, cessat ablata infamia per publicam vitæ emendam. Ut tenet communis sententia in tractatu *de irregularitate*. At omnes fatentur irregularitatem hanc minimè cessare post publicam hæretici emendam. Tandem quia ferè omnes DD. afferunt hæreticum esse irregularem irregularitatis specie, quæ ex defectu animæ oritur. Hi sunt *D. Anton. 3. part. tit. 28. cap. 6. in initio, Sylv. verbo Irregularitas quæst. 24. & ibi Arbilla, num. 85. ad finem, Navarr. summa cap. 27. nu. 205. vers. 3. Ledesma 2. part. 4. quæst. 26. art. 2. folio 364. Majolus lib. 5. de irregul. c. 46. n. 1. Toledo lib. 1. summa cap. 28. nu. 1. Penna in directorio inquisitorum 3. p. quæst. 126. commento 175. & quæst. 113. commento 162. ad fin. Valentia 4. tomo disput. 7. quæst. 19. puncto 3. in 3. specie irregularitatis, Philarcus de officio Sacerdotis, tomo 1. part. 1. lib. 2. cap. 9. Vivaldus candelabro Sacramentorum, in penultima editione 2. part. tractatu de irregular. nu. 71.* Et loquentes de apostata à fide docent *Sylvest. verbo Irregularitas, quæst. 5. nu. 7. & ibi Angelus nu. 27. Armilla nu. 83. Tabiena verbo Irregularitas 4. q. ult. Sotus 4. d. 25. qu. 1. art. 3. col. 8.* At quando ratione solius infamiæ incurritur irregularitas, nullus Doctor simpliciter affirmat ratione illius criminis incurri: nec appellat eam provenientem ex defectu animæ. Sentiunt ergo prædicti ex se, & ratione criminis hæresis hanc irregularitatem incurri: ac subinde nil referre, sive publica, sive occulta sit hæresis. Atque ita in propriis terminis docent *Sylvest. verb. Crimen, quæst. 2. num. 3. Azor. tomo 1. lib. 8. instit. moral. cap. 11. quæst. 15. & cap. 21. qu. 8. Suarez 5. tomo in 3. parte disp. 43. sectione 1. num. 4.*

3 Observandum tamen est, textus (ut *numero præcedenti* dicebam) non expresse interdicere clericis executionem ordinis jam suscepti, quando postea in hæresim lapsi sunt. Sed in eis dicitur permitti clericis ministrare in illo ordine. Atque eodem modo loquuntur *Angelus verbo irregularitas n. 28. & ibi Sylv. quæst. 5. num. 7.* ubi dicunt hos clericos posse post pœnitentiam, & abjurationem hæresis in ordine suscepto ministrare: at in suscipiendis tam clericos, quàm laicos esse irregulares. Quod non est ita accipiendum, ut liceat illis absque dispensatione in ordine suscepto ministrare. Sic enim non esset absolutè verum hæreticos esse irregulares. Cujus contrarium diximus *num. præcedenti*. Atque expresse *Sotus*, & *D.*

*& D. Anton. Toledo, Suarez ibi* relati, *& Sylv. verbo Crimen, quæſt.2.num.3. Greg. Lop. l.32. verbo Pecado t. 5. part. 1.* dicunt clericum hæreticum dejici etiam poſt pœnitentiam ab ordinis ſuſcepti exercitio. Quare intelligendi ſunt textus, & Doctores, ut permittatur ex diſpenſatione in ordinibus ſuſceptis miniſtrare, ſecùs diſpenſatione non priùs obtenta. Atque ita docent *Majolus lib. 5. de irregular. c.46. numer.2. Suarez 5. tomo in 3.p. diſp.43. ſectione 1. numer.2. Penna in directorio inquiſitorum 3.p.q.113. commento 162. ad finem, Azor. lib.8. inſtit. moral.c.11. quæſt.13.* Sed objicies etiam poſſe ex diſpenſatione ad ulteriores ordines aſcendere: & ſic perperam diſcrimen conſtituerent textus, dicentes non poſſe hunc aſcendere, at permitti in ſuſceptis miniſtrare. Sed dico diſcrimen explanandum eſſe *num.14.*

4 Quando tamen hæreſis in ſola mente retinetur, manifeſtum eſt ob eam minimè incurri irregularitatem. Quòd tamquam penitus occulta, judicio Eccleſiæ imponentis hanc cenſuram ſubdi nequeat. Ita *Navarr. ſumma cap.27. nu.249. Suarez d. ſectione 1. nu.3. Philiarcus de officio Sacerdotis, tom.1. p.1. lib.4. cap.15.* Et (ni fallor,) de hac intelligit *Gregorius Lopez. num. præcedenti* allegatus, dum ait ob hæreſim notoriam, vel probabilem incurri irregularitatem, ſecùs ſi omninò occulta ſit.

5 At dubitatur, an fictè negans fidem, fictève ab ea apoſtatans, ſive ſponte, ſive timore ductus, incurrat irregularitatem. Quibuſdam placet hos peculiari irregularitate non aſſici: atque ita eam non incurrere, ſi crimen occultum ſit: ſed ſolùm quando crimen hoc eſt manifeſtum dicunt eos incurrere irregularitatem, quæ contrahitur ob crimen enorme notorium. Quia nullus eſt textus peculiari irregularitate afficiens hos. Nec incurrunt irregularitatem hæreticis, & apoſtatis ſtatutam, de qua egimus *nu.2.* Quia hi nec veri hæretici, nec veri apoſtatæ ſunt: ac proindè illa irregularitate, ſicut & excommunicatione liberantur. Atque ita de ficto ſpontaneo apoſtata tenet *Azor. tomo 1. lib. 8. inſtit. moral. cap. 11. qu. ultima.* Et idem tenet de ficto apoſtata ob gravem timorem *eodem lib.8. cap.21. q.8.* Quod idem videtur tenere *Navarr. lib.5. conſil. tit. de hæret. in 1. editione, toto conſil.3.* & maximè *in fine*, in *2. toto conſil. 9.* & maximè *in fine*, ait enim qui ob gravem timorem etiam in hæreticorum locis hæretica facta publicè exercuere, ut frangere cruces, eſſe irregulares in utroque foro ob crimen notorium enorme. Aliis autem placet non eſſe hos irregulares, quando timore gravi deducti id fictè fecere. Quia etſi lethaliter peccarint contra jus divinum: at eum Eccleſia irregularitatem imponat; nec ſuis præceptis obliget cum mortis periculo: excuſabit hoc ab ea irregularitate. Sicut remigantes in triremibus Turcarum excuſant alioqui ob hanc cauſam ab excommunicatione, non tamen à peccato. Quos retuli *lib.præcedenti cap.7.nu.18.* Ita tenent aliqui, quòs tacito nomine refert *Azor.tomo 1. lib.8. inſt. moral. cap.11. quæſt. fin.* At ſi hæc ratio eſſet alicujus momenti, idem utique probaret, quamvis hi vero animo ob timorem gravem apoſtatarent. Nec eſt ſimile de remigibus: utpote qui opus ex ſe indifferens exercent. Hi autem opus intrinſecè malum.

6 At verius exiſtimo, eos eſſe irregulares, ſive ſponte, ſive metu gravi, fictè negent fidem, aut ab ea apoſtatent, & hoc irregularitate ſpeciali, & propria ejus criminis, quamvis non incurrant propriam hæretici, vel apoſtatæ à fide irregularitatem: utpote qui tales verè non ſunt. Hoc ſolet probari ex *canone 6. Apoſtolorum*. Sed is canon de ſolis clericis loquitur, & ſolam excommunicationem ferendam continet. Sed meliùs probatur ex *Concilio Ancyrano c. 1. & 2.* & refertur *c. Presbyteros d. 50.* Qui textus de fictis apoſtatis videtur apertè loqui. Nam poſtquam dixit, immolantes idolis ex gravi timore, arcendos eſſe ab ordinibus: ait ſecùs eſſe de laicis, qui cum clamarent ſe Chriſtianos eſſe vi præcipiti coacti ſunt immolare. Quippe eos ait ab hac pœna eximi: eò quòd culpæ immunes ſint. Ergo in priori parte comprehendit fictos apoſtatas ob timorem, qui re vera cum non vi præcipiti, ſed ſolo timore compellantur, non ſunt à culpa liberi. Et ideò hanc ſententiam ſuſtinent *Majolus lib.5. de irregularitate c.34. nu. 2. Vivald. candelabro ſacrament. in penultima editione*, ubi de irregul. *num. 38. Suarez 5. tomo in 3. part. diſp.43. ſectione 2. n.2.* dicens, etſi is textus loquatur de ſolo offerente ſacrificium idolis, cum tamen idem velle decidere de negantibus fidem quocumque alio ſigno externo. Quòd is textus culpam receſſus à fide ob timorem ponderet. Refert etiam *Suarez* pro hac ſententia *Angelum verb. Irregularitas, nu. 27. & ibi Sylv.qu.5. num.7. Armill. num.83. Tabiena verbo Irregularitas 4.q.ultima.* At hi Auctores non explicant ſe loqui de fictis apoſtatis: imò *Angelus*, & *Sylv.* quos *Tabiena & Armilla* videntur ſequi, de veris apoſtatis loquuntur. Quia ſtatim ſubdunt eos eſſe veros hæreticos. Quod de fictis apoſtatis non verificatur.

7 Hæc autem irregularitas in hæreticos lata extenditur quoque ad receptatores, fautores, defenſores hæreticorum. Et quamvis *Enriquez lib.14. de irregul. cap.4. nu.6. & Emmanuel Sà in ſumma, verbo Irregularitas*, ubi de irregularitate ex defectu animæ *num.2.* hoc limitent, (ſicut & de ipſis hæreticis limitant,) quando hi ſunt notorii, aut per ſententiam damnati. Et ſic cenſent eos non affici peculiari irregularitate. At verius eſt, peculiarem incurrere: & ſic eam non evadere, quantumvis occulti ſint. Sicut *nu.2.* de ipſis hæreticis diximus. Atque ita expreſsè videntur tenere Doctores, qui indiſtinctè, & generaliter æquiparant hos hæreticis quo ad irregularitatem ex defectu animæ provenientem contrahendam. Idque probant ex ſpeciali textu *c.2. §. Hæretici, de hæretic. in 6.* Hi ſunt *Navarr. Ledeſma, & Valentia num.2.* allegati, *Majolus libro 5. de irregul. cap.46. num.4.* Et tenet expreſsè *Suarez 5. tomo in 3.par. diſp.43. ſectione 2. num.5.* nam *ibi in fine* ait hos omninò æquiparari hæreticis quo ad irregularitatem: & omnia dicta de hæreticorum irregularitate in his locum habere. At *ipſemet* dixerat *eadem diſp. ſectione 1. num.4.* hæreticos occultos eſſe irregulares. Et optimè *ea ſectione 2.num.5.* ponderat ad hoc probandum *id cap.2. §. Hæretici*, ubi æquè hæretici, & omnes eorum receptatores, fautores, & defenſores, reddunturinhabiles ad omne beneficium, & officium publicum. Quippe nomine officii publici non eſt cur ſola temporalia intelligantur, ſed etiam Eccleſiaſtica: inter quæ ordinum officia computantur: eò vel maximè quòd hæc publica quoque ſint.

8 Qui autem ſint hi fautores, receptatores, & defenſores, latis diximus *hoc 2. lib. cap.10. à numer.4. uſque in finem*. Atque ſicut *ibi nu.4. &* 5. diximus hos tantùm incurrere excommunicationem, quando hæc beneficia conferunt in hæreticos formaliter, ideſt, ea ratione quia hæretici ſunt. Ita idem hanc irregularitatem incurrendam deſiderat. Quia eædem prorſus militant rationes. Et docent *Suarez num.ſeq.* allegandus.

9 Eamdem irregularitatem extendit *Majolus n. 7.* allegatus, in adminiſtrantes ſacramenta hæretico; & refert *Speculatorem, & Bernardum Diaz.* Qui tamen id non ait, (ut benè expendit *Suarez 5. tomo in 3. part. diſp.43. ſection.2. nu.6.*) quare dicendum eſt cum *Suarez ibi* hos non incurrere, niſi miniſtrarent Sacramenta hæretico nondum converſo, ut illi faverent, non tantùm ut excommunicato, ſed ut hæretico. Tunc enim incurrerent irregularitatem fautorum hæretici.

10 Inſuper hæc irregularitas extenditur ad ſuſpectos de hæreſi. Ut tradunt *Majolus lib.3. de irregular. cap.17. num.2. Enriquez lib.14. de irregular. cap.4. num. 6. in fine, Suarez 5. tomo in 3.p. diſp.43. ſectione 2. num.8. &* 9. Qui benè advertit *eo numero* 9. interdum hanc ſuſpicionem proficiſci ex crimine includente cooperationem ad hæreſim, ut ſi quis ſit fautor, receptator, aut defenſor hæretici. Et tunc ait hujus criminis reum incurrere peculiarem irregularitatem fautorum, juxta dicta *num.7.* Nec erit (inquit) dicendum hinc incurrere duplicem irregularitatem, ſi id crimen notorium ſit: alteram ratione favoris, alteram verò ratione infamiæ. Sicut nec hæreticus, aut homicida notorius duplicem incurrit. Quia ex duplici eo titulo incurritur irregularitas per modum unius. Quamvis enim utraque ratio ſit per ſe ſufficiens ad irregularitatem: at cum per ſe impoſita ſit ob tale crimen, quod habet per ſe conjunctam talem ſuſpicionem, vel infamiam, cenſetur propter utramque rationem impoſita. At quando ſuſpicio hæreſis oritur ex alio crimine, ſive ſit ſuſpicio facti, quia nimirum factum eſt tale, ut abſque aliqua juris diſpoſitione eam ſuſpicionem inducat; ſive ſit juris, quia, ſcilicet, jus in eo caſu diſponit, inde hæreſis præſumptionem ſumi: ut *Tridentinum ſeſſ. 25. de reform. cap.3.* eam ex annua in excommunicatione perſeverantia præſumi. Tunc non incurritur peculiaris irregularitas ex natura ſuſpicionis hujus, nec in eo pœna criminis: ſed ſolùm ratione indecentiæ ob infamiam, quando id crimen notorium eſt. Ita docent *Enriq. eodem nu.6. in fine, Suarez eodem n.9. &* 10. qui benè *num.9.* inde refert ablata ea infamia, & purgata ſuſpicione auferri irregularitatem hanc. Ut communiter tradunt Doctores in tractatu *de irregularitate*, quando ea ex ſola criminis notorietate oritur.

11 Hinc deducitur primò, ineuntes pactum cum dæmones, aut eum invocantes, colentesve, aut reſponſa ab eo petentes, abſque tamen intellectus errore conſtituentis eos hæreticos, non innodari peculiari aliqua irregularitate huic crimini ſtatuta: ſed quia crimen hoc hæreſis ſuſpicionem induxit, quando fuerit notorium, inducet irregularitatem *num. præced.* explicatam. Ita *Suarez eadem ſectione 2. in fine.*

12 Secundò deducitur, quid dicendum ſit de iis, qui tamquam de hæreſi ſuſpecti coguntur per Inquiſitores abjurare de vehementi. *Anor. tomo 1. lib.8. inſtit. moral. c.21. quæſt.8. in fine*, ait hos eſſe irregulares ratione ſuſpicionis vehementis de hæreſi, & notoriæ quidem. At dicendum eſt, nullatenus eſſe irregulares, nec inhabiles ad officia, & beneficia. Ut docent *Navarr. lib. 5. conſil. titul. de hæretic. in 1. editione, conſil. tomo 5. & 6. in 2. toto conſ. 18. & 19. Flamin. de reſignat. benef. lib.4. quæſt. 3. Enriquez lib. 13. de excom. cap.56, num.1. Emmanuel Sà Summa, verbo Hereſis, num.5.* Nec horum beneficia vacant virtute motus proprii Pii V. decernentis vacare hæreticorum beneficia, & ad diſpoſitionem Apoſtolicam pertinere. Quia hi non ſunt hæretici. Ut benè docent *Navarr. & Flam. ibidem*. Secùs tamen erit, (ut rectè tradunt *Nav. & Emmanuel Sà eiſdem locis*) ſi hi tamquam veri hæretici cogantur abjurare. Tunc enim incurrent irregularitatem peculiarem hæreticorum. Quod optimè explicat *Navarr.* dicens dupliciter cogi quempiam abjurare. Prior modus eſt, quando hæreſis eſt probata, & ideò tamquam hæreticus cogitur eam abjurare, jurando ſe numquam ad eam rediturum. Et tunc fit irregularis, & inhabilis ad officia, & beneficia. Quia tamquam verus hæreticus damnatur. Poſterior modus eſt quando hæreſis non probatur, at maximæ præſumptiones hæreſis adſunt: & tunc quò ſe ab iis ſuſpicionibus purget, cogitur de vehementi abjurare: jurans ſe nec in illam incurriſſe, nec umquam incurſurum. Et tunc non damnatur tamquam hæreticus, nec imponitur ei aliqua pœnitentia ob hæreſim: ſed ob ea geſta, ex quibus hæreſis ſuſpicio orta eſt: à qua ſe purgat, & oſtenditur innocens per eam abjurationem. Et ita non manet irregularis, nec inhabilis. Quia irregularitas ex hæreſis ſuſpicione orta deletur purgata infamia, & ea ſuſpicione. Ut *numero* 20. diximus.

12 Tandem de diſpenſatione irregularitatis ob hæreſim incurſæ dicendum eſt. Communiter Doctores tradunt ſolius Pontificis eſſe diſpenſare. Ita *Angel, verbo, Irregularitas, numero 28. & ibi Sylv. quæſt. 5. num. 7. Navarr. Penna, Ledeſma, Philiarcus, Valentia* allegati, *num. 2. Azor. tom.1. libr. 8. inſtit. moral. cap.21. quæſt. 8. Suarez 5. tomo in 3. part. diſp.43. ſectione 1. num.6.* Atque idem dicendum eſt de diſpenſatione irregularitatis fautorum, receptatorum, & defenſorum hæretici. Quia eadem irregularitate, qua hæretici, afficiuntur. Et ita docent *Navarr. Ledeſma, Valentia, Philiarcus ibidem.* Et idem clarè tenet *Suarez eadem diſp.43. ſect.2. num.5. in fine*, ait enim omnia dicta de irregularitate hæreticorum dicenda eſſe de horum irregularitate. At in priori irregularitate dixerat ſolum Papam poſſe diſpenſare.

14 Hoc autem intelligitur quo ad promotionem ad ſuperiores ordines, ſi lapſus in hæreſim ſit clericus, vel quo ad promotionem ad omnes ordines, ſi ſit laicus; at quo ad uſum ordinum jam ſuſceptorum poteſt Epiſcopus diſpenſare cum hæreticis ad fidem redeuntibus. Quia (ut *numer.* 3. diximus) textus permittunt ex diſpenſatione hos clericos in ſuſceptis miniſtrare. At canon diſpenſationem permittens, eo ipſo illam cenſetur Epiſcopo concedere. (Ut probavi *lib 8. de matrimonio diſputatione 5. numer.1.*) Atque ita tenent *Suarez d. diſputatione 43. ſectione 1. num.6.* Ubi hoc limitat, niſi quo ad uſum ſacerdotii in Sacrificio altaris. Quippe cum hoc ſit res graviſſima, videtur Pontifici reſervari: eò vel maximè quòd *Penna in directorio Inquiſitorum 3.part. quæſt.126. commento 175.* refert Pium V. anno 1567. inhibuiſſe generali Hiſpaniæ Inquiſitori, ne poſſet habiles reddere hæreticos presbyteros, ut in altaris miniſterio deſervirent. Atque idem benè ait *Suarez* de diſpenſatione cum Epiſcopo hæretico quo ad Pontificalium uſum. Et maximè cum Epiſcoporum cauſæ in cauſa hæreſis ſint Papæ reſervatæ. *c. Inquiſitores, de hæret. in 6.*

15 Dubium autem grave eſt, an ſi hæreticus, vel apoſtata ſit occultus, poſſit Epiſcopus in ejus irregularitate diſpenſare virtute decreti *Trident. ſeſſ.24. c.16. de reform. Majolus libro 5. de irregular. cap.26. num.6.* ait *Tridentinum* in eo decreto concedere facultatem Epiſcopo ad abſolvendum ab hæreſi occulta: non tamen ad diſpenſandum in ipſius irregularitate. Et quamvis id non probet, ejus fundamentum eſſe poteſt. Quia in generali caſuum conceſſione non venit hæreſis, utpote quæ ſpeciali expreſſione indiget. Ut diximus *cap.13. num.10.* At in ſola facultate abſolvendi conceſſa in eo decreto exprimitur hæreſis. At *Suarez tomo 5. in 3. parte diſput.43. ſectione 1. num.7.* hoc impugnat. Nam in priori illius decreti parte generaliter tribuitur Epiſcopo facultas diſpenſandi in irregularitate ex delicto occulto. Et *in fine* ita concluditur: *Idem & in hæreſis crimine*. Quæ verba ad utramque facultatem extendenda ſunt. Cum enim favorem contineant, amplianda ſunt: eò vel maximè, quòd hunc ſenſum admittant, imò & requirant. Unde ait hanc facultatem concedi *ibi* Epiſcopo cum ejus limitationibus, cum quibus conceditur abſolutio. Nempe, ut in ſolo conſcientiæ foro, & per ſe, non autem per vicarium id poſſit. Quæ tamen limitationes non intelliguntur in facultate diſpenſandi quo ad reliquos caſus in eo decreto conceſſa. Ut ex mente *ejuſdem Suarez* diximus *cap. 11. numero 12.*

16 At neuter dicendi modus mihi placet. Credo enim abſolutè, & ſine prædictis limitationibus concedi facultatem in eo decreto Epiſcopis diſpenſandi in irregularitate contracta ex hæreſi occulta: ſicut & in aliis, quæ ex delicto occulto proveniunt. Nec ea verba, *Idem & in hæreſis crimine*, referuntur ad priorem partem, in qua de facultate diſpenſandi eſt ſermo: ſed ad ſolam poſteriorem de excommunicationis abſolutione tractantem. Ducor, quòd etſi expreſſa hæreſis mentio deſideretur, ut ejus abſolutio conceſſa cenſeatur, propter maximam ejus reſervationem, & expreſsam Pontificum intentionem. At non video, cur diſpenſatio in ejus irregularitate hanc expreſsam mentionem poſtulet. Cum ea ſpeciali reſervatione minimè afficiatur: imò (ut *num. 1. 2. & 3.* vidimus,) valde dubia ſit irregularitas hæreſis occultæ. Et ideò *Trident.* in priori illius decreti parte concedens Epiſcopis facultatem diſpenſandi in caſibus occultis, non expreſſit etſi ii ſint Pontifici reſervati, nec hæreſim, quaſi intelligens comprehendi ſub generali diſpenſandi conceſſione. At in poſteriori parte agens de abſolutione, volens non tam amplam facultatem concedere, ſed eam reſtringere pro ſolo foro conſcientiæ exemptis caſus Pontificis reſervatos: & ſpecialiter meminit hæreſis. Tum quia ejus abſolutio ſub generali conceſſione minimè continetur. Tum etiam ut reſtrictiùs ejus abſolutionem concederet: nempe, ut per Epiſcopum, & non per vicarium impendenda ſit. Præterea quia cum ea verba favorem contineant, non reſtringenda, ſed potiùs amplianda ſunt. At reſtringerentur relata ad omnia præcedentia. Cum facultas diſpenſandi in priori parte abſque iis limitationibus conceſſa ſit. Tandem quia ipſemet contextus *Tridentini* clarè videtur perſuadere ea verba ad proximè dicta de abſolutione referri. Cum jam priorem partem, in qua de diſpenſatione erat ſermo, omnino abſolviſset: & tranſiiſset ad concedendam abſolvendi poteſtatem,

17 Difficultas autem in eo potiſſimùm conſiſtit, an retenta opinione aſſerente id decretum revocatum eſſe quo ad poteſtatem conceſsam Epiſcopo abſolvendi ab hæreſi occulta, cenſeatur quoque revocatum quo ad facultatem diſpenſandi in ejus irregularitate? *Suarez nu.15.* relatus cenſet probabiliſſimum eſſe revocatum eſſe. & ita ſolum Pontificem poſſe in ea diſpenſare etiam quo ad uſum ordinis antea ſuſcepti. Ducitur, quia *c. Cum illorum 32. §. Primos ſi fuerint, de ſententia excommun.* generaliter traditur Epiſcopos non habere facultatem diſpenſandi in iis caſibus, in quibus eſt eis abſolutio interdicta. Atque redditur ibi ratio. *Quòd majora intelligantur denegata minoribus denegatis*, Ubi *Gloſſ. verbo, Minora, Abb. num.4. notabili 3. Felin. nu. unico, notabili 1.* advertunt poteſtatem diſpenſandi majorem vocari, quàm poteſtatem abſolvendi, atque illam interdictam cenſeri hac interdicta. Si ergo poteſtas abſolvendi ab hæreſi occulta eſt hodie Pontifici reſervata, & quo ad eam eſt revocatum id *Tridentini* decretum: idem cenſendum erit de poteſtate diſpenſandi in irregularitate proveniente ex ea.

18 Fateor argumentum urgens eſſe, & ideò meritò id dixiſſe probabiliſſimum. At videtur innuere oppoſitum, quoque eſſe probabile. Quod & mihi probabilius eſt: nempe poſſe Epiſcopum virtute ejus decreti diſpenſare in irregularitate hæreſis, vel apoſtaſiæ à fide, quando occulta ſunt. Quod abſque dubio dicendum videtur, ſi tenemus opinionem dicentem id decretum non eſſe revocatum, quo ad poteſtatem abſolvendi ab hæreſi. Quod contra *Mavolum* fatetur *Suarez*. (Ut *num.15.* vidimus) Et tenent *Enriquez lib.14. de irregular. c.5.n.2. Perez lib.8. ordinamenti, titul.4. lib. 3. fol.98. ad finem prima partis tractatus de hæres. Vivald. in candelabro ſacram. in penultima editione 2. part. ubi de irregularitate, numero 70. &* 89. Quamvis autem Doctores hi non limitent, ſi *Tridentini* facultas ad abſolvendum non ſit revocata. At ipſi ſunt in ea ſententia, ut non revocata ſit. Quod ſi teneamus revocatam eſſe eam abſolvendi ab hæreſi occulta facultatem: adhuc probabilius mihi eſt, poſſe Epiſcopum in ejus, aut apoſtaſiæ occultæ irregularitate diſpenſare, virtute ejus decreti. Ducor, quod valde diverſa ſit ratio ob ſtrictiſſimam abſolvendi ab hæreſi reſervationem. Qualem circa diſpenſationem minimè invenimus. (Ut advertimus *num.16.*) Unde poteſtas diſpenſandi in hac irregularitate adeò dubia, non poteſt appellari in hoc caſu major, quàm poteſtas abſolvendi à cenſura excommunicationis tam ſtrictè reſervata. Et hinc conſtat ſolutio ad textum pro contraria parte valde urgentem. Qui intelligitur regulariter, quia regulariter major cenſetur diſpenſandi, quàm abſolvendi poteſtas. Atque huic ſententiæ favent *Enriquez, & Vivaldus* proximè allegati. Cum abſolutè dicant poſſe Epiſcopum diſpenſare, nec id in dubium vocent: cum tamen eos non lateret eſſe ſub judice, an poteſtas abſolvendi duret.

19 Rurſus de Inquiſitoribus dubitari poteſt, an habeant facultatem diſpenſandi in hac irregularitate hæreſis occultæ? Quia conſtitutio Clement. VII. cujus memini *loc 2. lib. c. 12. num.1.* expreſsè id concedit illis pro ſolo conſcientiæ foro. Et tenent eos poſſe *Mandoſius de ſignaturâ gratia, verb. Abſolutio ab hæreſi in initio, Lelius Zecchius in ſumma, tractatu de fide c.11. num.16. in 12. pœna hæreticorum, Enriquez lib. 14. de irregularitate, c.18. num.2.* ubi idem dicit per id privilegium, de irregularitate incurſa ob violatas cenſuras, modo non fuerit in contemptum clavium. Sed dicendum eſt non poſſe. Quod tradunt *Penna in directorio 3. part.quæſt. 126. commento 175. Suarez 5. tomo in 3. p. diſp.43. ſectione 1.nu. 5.* Quia vel ea conſtitutio eſt revocata quo ad hoc, ut ait *Penna ibi*. Vel quòd ſit perſonalis, & non perpetua, nec uſu recepta. Ut ait *Suarez*.

20 Inſuper difficultas eſt, quis diſpenſet in irregularitate cum apoſtatis à fide. *Angelus verbo Irregularitas, nu. 27. & ibi Sylveſter, quæſt. 5. num. 7.* ſic diſtinguunt. Si timore gravi ducti apoſtatarunt, & ſunt facerdotes, ſolus Pontifex diſpenſat. Si autem inferioris ordinis, aut laici, Epiſcopus. At ſi ſponte apoſtatarunt, cum nullis Epiſcopus diſpenſat. Quod idem ſentire videntur *Armilla verbo Irregularitas num.83. & Tabiena verbo Irregularitas 4. num. ult.* Dicunt enim generaliter ſolum Pontificem poſſe cum ſacerdotibus diſpenſare: at cum aliis poſſe Epiſcopum. Et clarè prædicti Auctores intelligunt poſſe Epiſcopum diſpenſare cum non ſacerdotibus, non tantùm quo ad uſum ordinis ſuſcepti, ſed etiam quo ad promotionem ad ulteriores. Quia etiam

etiam cum laicis dicunt posse Episcopum: at cum iis nulla potest esse dispensatio, nisi ut promoveantur. Atque de omnibus non sacerdotibus loquuntur eodem modo, quo de laicis. Et probant ex *c. Presbyteros d.* 50. Et videntur loqui de verè apostatantibus. Ut dixi *num.*6.

21 At (ut *num.* 6. probavi,) textus ille intelligitur de apostatantibus fictè. Et (ut optimè perpendit *Suarez* 3. *tom. in* 3. *p. disp.* 43. *sectione* 2. *num.* 3. & 4.) nulla conceditur *ibi* facultas Episcopo dispensandi cum laicis, qui ob prædictum timorem apostatarunt: nec cum quibuscumque clericis, ut ad superiores ordines ascendant: sed cum solis non sacerdotibus, ut in susceptis ordinibus ministrent. Quod ex verbis textus constat. Atque ita benè concludit *ibi*, hujus irregularitatis fictè apostatantium ob timorem, dispensationem solius Pontificis esse, quo ad promotionem omnino ad ordines, vel ad superiores ordines. Et similiter quo ad usum sacerdotii. Et similiter quo ad omnia cum iis, qui sponte sic apostatarunt. At potest (inquit) Episcopus dispensare ex gravi aliqua causa cum iis, qui timore gravi ducti apostatarunt, quo ad usum inferiorum ordinum. Quod intelligo non tantùm cum constitutis in inferioribus ordinibus, sed etiam cum sacerdotibus sic apostatantibus. Quia etsi textus id concedens loquatur de diaconis: at cum loquitur de presbyteris, solùm dicit, ut non liceat eis fungi ministerio aliquo sacerdotii. In quo apertè permittit posse inferioribus ordinibus fungi. Et non potest intelligi absque dispensatione. Quia essent melioris conditionis, quàm diaconi apostatantes: cum tamen graviùs delinquant. Quare textus debet intelligi, ut permittatur ex dispensatione. Et sic cum dispensatio sit permissa, intelligitur concessa Episcopo (Ut *numero* 14. diximus.) Insuper advertit benè *Suarez eo numero tertio* id esse speciale in hac irregularitate sacerdotis apastatantis ob timorem, ut inducat etiam suspensionem à prædicationis munere. Quia in eo *cap. Presbyteros*, exprimitur. Quamvis alias non sit intrinseca irregularitati, eò quòd officium prædicandi non sit in rigore actus ordinis.

22 De iis autem, qui vero animo ob timorem à fide apostatarunt, cum is textus non loquatur de illis, sed de fictè apostatis, judicandum est quo ad dispensationem irregularitatis, juxta dicta *numero* 13. & 14. de dispensatione irregularitatis aliorum hæreticorum. Cum hi veri hæretici sint.

## CAPUT XXVI.

### De infamia, ac beneficiorum privatione, & inhabilitate ad ea, quæ incurrunt hæretici, fautores, defensores, ac receptatores eorum.

### SUMMARIUM.

*An hæreticus ante sententiam incurrat infamiam juris, & sit inhabilis ad officia, & beneficia? num.*1.
*Quid, si crimen hæresis sit notorium? num.*2.
*An eam incurrant fautores, defensores, receptatores hæreticorum? num.*3.
*An collatio beneficii facta hæreticis, & omnibus his, sit ipso jure irrita, ac teneantur fructus restituere? num.*4.
*An hæretici sint jure privati beneficiis ante hæresim adeptis? Refertur quædam sententia, num.*5.
*Sententia Auctoris, num.*6.
*An exigatur judicis sententia, ut beneficium teneatur hæreticus dimittere, quod ante hæresim acquisierat? num.*7.
*An exigatur etiam sententia executio? num.*8.
*An possit hæreticus id beneficium resignare, antequam condemnetur? num.*9.
*An lata sententia sit privandus fructibus antea perceptis: Et quicumque privatur ipso jure beneficio, amittat fructus ante sententiam? num.*10.
*An si ante sententiam debitè ministravit beneficio, possit retinere fructus suo ministerio debites? num.*11.
*An beneficia hæretici, & cujuscumque, qui illis privatur ipso jure, possint alteri conferri, & tamquam vacantia impetrari: & ad ea patronus præsentare, possessore non citato? numero* 12.
*An hæreticus pœnitens, vel qui statim convertitur, privetur beneficio? num.*13.
*An suspecti, vel diffamati de hæresi, amittant ipso jure beneficia? num.*14.
*Quid de receptatoribus, fautoribus, & defensoribus hæreticorum? num.*15.
*An omnes hi possint in alterius favorem resignare? n.*16.

1 Circa infamiam *Peregrinus de jure fisci lib.* 5. *tit.*1. *num.* 172. *vers. Notandum tamen*, *Castro lib.*2. *de justa hæret. punit. cap.*9. & *Azev. lib.*8. *recop. tit.* 3. *l.* 3. *nu.*32. *Arag.*2. 2. *q.* 11. *art.*3. *fol.* 353. dicunt hæreticos esse ipso jure infames ante omnem judicis sententiam. Tum quia infamia est ipso iure irrogata. Tum etiam, quia hæc pœna in privatione, non in actione consistit. At pœnæ in privatione consistentes non indigent judicis sententia. At verius est, hæreticum hac pœna non affici, nisi post sententiam judicis declaratoriam. Sicut quamvis à die commissi criminis perdat hæreticus bonorum dominium; at non tenetur ad ea relinquenda, donec sententia judicis declaretur hæreticus. Nec est opus sententia condemnante ad bonorum amissionem. Ita etsi hæreticus sit ipso jure infamis; at infamiam hanc non incurrit, donec ejus crimen declaretur. Ea autem declaratione præcedente infamis est, etsi in sententia non condemnet eum judex, ut infamem. Sic docet *Azor*, latiùs probans *tomo* 1. *libro* 8. *instit. moral. c.*13, *post qu.* 8. *in* 7. *hæreticorum pœna*. Ejusdem sententiæ videtur *Simanc. de cathol. institt. tit.*9. *numer.*203, ubi ait posse dici hæreticos non arceri ab Ecclesiasticis beneficiis, usque ad sententiam. Et *Castro lib.*2. *de lege pœnali cap.* 15. *in fin.* ubi ait occultum hæreticum non incurrere infamiam juris, vel facti; & sic non esse inhabilem ad beneficium, vel officium assequendum. Hoc autem intellige ratione infamiæ. Nam ratione excommunicationis, & irregularitatis erit inhabilis ad beneficium, & officia ordinum exercenda.

2 Si tamen crimen hæresis notorium fuerit evidentia facti, contrahet hæreticus infamiam facti, quæ per contrarium factum aboletur, non tamen infamiam juris, usque ad sententiam. Ita *Azor. num. praced.* allegatus.

3 Eadem infamia ipso jure afficiuntur receptatores, fautores, defensores hæreticorum, si intra annum satisfacere neglexerint, *c. Excommunicamus*, 13. §. *Credentes de hæret.* Et id intelligitur, quando hæc præstant in hæreticos formaliter. Juxta dicta *c.* 10. *nu.*4. & 5.

4 Circa privationem autem beneficiorum, constat collationem beneficiorum factam hæreticis, receptatoribus, fautoribus, defensoribus eorum, esse irritam: ac proinde eos teneri statim restituere fructus tamquam iniquè perceptos. Constat ex *cap.*2. §. *Haretici, de hæret. in* 6. ubi decernitur, ne hi ad ullum officium publicum, aut beneficium admittantur, quòd si secùs actum fuerit, esse irritum & inane. Præterea, quia sunt excommunicati, & irregulares. Ut ex præcedentibus constat. Atque ita docet alios referens *Penna in directorio Inquisitorum* 3. *p. qu.* 113. *commento* 162. *Salzedo in pract. Bernardi Diaz cap.* 114. *Azor. tomo* 1. *lib.*8. *instit. mor. cap.*13. *qu.*8. *Sayro in clavi regia*, *lib.*3. *cap.*9. *num.*30. *vers. Sic etiam.*

4 Tota difficultas est, an ipso jure privati sint beneficiis ante delictum adeptis. Et de hæreticis, quidam sentiunt eos non esse privatos ipso jure, sed privandos per sententiam. Ducuntur, quia *c. Ut commissi* 12. *vers. Privandi, de hæret. in* 6. Sic dicitur: *Privandi, vel privatos nuntiandi dignitatibus, ac aliis beneficiis Ecclesiasticis hæreticos, credentes, receptatores & defensores ipsorum, plenam concedimus facultatem.* Et *c. Ad abolendam* 9. *vers. Præsenti, de hæret.* tantùm dicitur, ut priventur. Atque ita docent *Castro lib.*2. *de justa hæret. punit. c.*9. *Simancas de institt. cathol. tit.*46. *num.* 72. *Aragon.* 2. 2. *q.*11. *art.*3. *fol.*352. *Enriq. lib.*13. *de excommun. c.* 56. *num.*2. *Ludov. Gomez regula de annali possess. qu.* 52. *Vasquez* 1. 2. *qu.*96. *art.* 5. *disp.*172. *cap.*2. *nu.*11.

6 At verius est privatos esse ipso jure à die commissi criminis omnibus beneficiis Ecclesiasticis ante hæresim adeptis. Quia in illis verbis *d. c. Ut commissi, vers. Privandi*, quibus contraria sententia innititur, *Privandi, vel privatos nuntiandi*: Vel, non sumitur disjunctivè, sed expositivè; ita ut sensus sit, *privandi*, idest, *privatos nuntiandi*: vel *privandi* refertur ad receptatores, & defensores; *privatos nuntiandi*, ad ipsos hæreticos. Secundò probant hoc *Penna*, *Salzedo*, *Azevedo*, *Azor. Man. Petr. de Ledesm.* statim allegandi. Quia quidquid sit de jure communi antiquo, extat proprius motus Pii V. incipiens, *Cum ex Apostolatus*, quem affert *Penna in fin. directorii inquisitorum*, inter litteras Apostolicas ipsorum, ubi beneficia qualiacumque fuerint, ob hæresim vacantia reservat sedis Apostolicæ collationi. Quare ea ipso jure vacare supponit. At hic motus proprius minimè probat hanc partem. Quia nec motus proprius decidit ea ipso jure vacare, nec id supponit; sed solùm reservat sedi Apostolicæ collationem, quandocumque vacarint, sive ipso jure vacent, sive per sententiam. Et ideò quamvis hanc opinionem tamquam probabiliorem amplectar existimo tamen priorem sententiam esse probabilissimam. Et hanc sent. tuentur *Jo. Andr. Abb. Prapos. Dominic. Felin.* quos refert, & sequitur *Cov.* 2. *var. c.* 8. *num.*4. *Rebuffus praxi benef.* 3. *p.* 1. *de modis amittendi beneficia*, *num.*4. & *de pacif. possessor. nu.* 196. *Bern. Diaz pract. canonica c.*114. *num.*2. & *ibi Salzedo*, *Navarr. lib.*5. *conf. tit. de haret. in* 1. *editione conf.* 6. *in* 2. *edit. conf.* 16. *n. unico*, *vers.* 2. *Menoch. de arb. lib.* 2, *centuria* 5. *casu* 416. *nu.*61. *Penna in direct. Inquisitorum* 3. *p. quæst.* 113. *commento* 162. *Meres de majoratu*, *in* 1. *edit.* 1. *p. qu.*1. *num.*66. *Palacios de contractib. lib.*6. *c.*7. *fol.* 541. *col.*1. *Spino speculo test. gl.*12. *rubrica*, *num.*45. *Rojas singulari* 73. *Azevedo lib.* 8. *recop. regia tit.* 3. *l.*1. *nu.*203. *Flamin. de resignat. benef. l.*3. *qu.*1. *num.* 32. ubi multos alios refert, *Azor. tomo* 1. *l.*8. *instit. moral. cap.* 13. *q.*3. & 8. *Manuel.*1. *tom. summa* 1. *edit. c.*130. *num.*3. *Petr. de Ledes.* 1. *tomo summ. tract.*1. *cap.* 6. *conclus.*14. *Decian. in sua practic. lib.*5. *c.*44. *num.* 26.

7 Exigitur tamen sententia declaratoria criminis hæretici, ut beneficium ante hæresim adeptum dimittere teneatur. Quia etsi à die commissi criminis titulo beneficii careat: at possessionem retinet, quæ sufficit, ut id retinere valeat, Sicut in bonis temporalibus diximus, *hoc l. c.* 22. *n.*7.

Item



Item quia communior sententia habet privatos ipso jure beneficiis non teneri ea dimittere, usque ad sententiam criminis declaratoriam. Etsi multi quoque contrarium teneant. Et ita nobiscum tenent *Monoch. dict. casu* 416. *num.*62. & *duplici sequenti*, *Salzedo*, *Azevedo*, *Flaminius numer.*48. *Palacios*, *Manuel. Petrus de Ledesma num. praced.* allegati *Azor. tomo* 1. *lib.* 8. *instit. mor. c.*13. *qu.* 8. *Enriq. lib.*14. *de irregul. c.*4. *nu.*6. & *lib.* 13. *de excom. c.* 56. *num.*2. Quamvis *Suarez tomo* 3. *in* 3. *p. disp.* 43. *sect.* 1. *num.*4. teneat hæreticum amittere beneficia ante sententiam criminis declaratoriam. Quod non credo, si intelligat ita amittere, ut teneatur se illis statim privare. Si autem intelligat amittere ipso jure titulum ante omnem sententiam; est nostra sententia, quam *numer. praced.* explicuimus.

8 Imò, & requiritur sententiæ privationis executio facta per judicem, & ante eam hæreticus jam condemnatus non tenetur se beneficiis spoliare. Sicut *c.*22. *num.* 8. diximus de bonis temporalibus. Quia etiam dum quis privatur per canonem ipso jure beneficio, ultra sententiam judicis condemna oriam exigitur etiam sententiam executio. Ut benè tradunt *Covarr.* 4. *Decret.* 2. *p. c.*6. §. 8. *numer.* 8. *Enriquez libro* 13. *de excommun. cap.*56. *num.*3. *in fine*, *Azor. tom.*1. *lib.*5. *inst. mor. cap.*8. *quæst.*4. Quod limitandum est, sicut in bonis temporalibus limitavi *cap.* 14. *num.*7. nisi judex in sententia præciperet, ut sic condemnatus dimitteret statim beneficium.

9 Hinc deducitur non posse hæreticum beneficio ante hæresim adepto renuntiare in favorem tertii, & si resignet, nullum jus acquiri ei, in cujus favorem resignatio fit. Ita *Bernard. Diaz*, *Salzedo*, *Pennæ num.*6. allegati. Quod non sic accipiendum est, quasi nullius momenti sit resignatio, aut si commutet, nullius momenti sit commutatio. Quippe hæc valent, & acquirit jus ille, in quem beneficium hæreticus relignat, five simpliciter, sive via permutationis, donec crimen hæretici declaretur. At eo declarato retrotrahitur sententia, usque ad diem commissi criminis, & ea permutatio, & renuntiatio beneficii rescinduntur, atque aufertur beneficium ei, qui gratia simplicis renuntiationis, aut permutationis ab hæretico id adeptus est. Sicut in cæteris hæretici contractibus contingit. Sic *Azor. tomo* 1. *lib.*8. *instit. mor. c.*13. 9. 8. At dum spoliatur hic beneficio via commutationis habito ab hæretico, potest ad suum, quod hæretico dedit, redire. Quia hæreticus tamquam ejus incapax jus nullum acquisivit, ac proinde est vacans. Nec commutatio fortita est plenum effectum, sed perinde revocatur, ac si facta non esset. At quoties permutatio non habet effectum, potest permutans propria auctoritate ad suum beneficium redire. Ut multis allegatis contra alios dicentes novam collationem exigi sustinet *Flamin. de resignat. benef. lib.*1. *q.*14. *à nu.*6. Et saltem videtur certum ei reddendum suum beneficium, quod non absolutè resignavit, sed via permutationis, & ea lege, ut permutatio omninò teneret.

10 Secundò deducitur, lata sententia hæresis declaratoria hæreticum non tantùm privari beneficio, sed etiam fructibus à die hæresis admissæ perceptis. Quia quoties pœna amissionis beneficii est ipso jure statuta, id operatur, ut cum fuerit lata sententia, privetur delinquens beneficio cum fructibus à die commissi criminis perceptis. Ut optimè docent *Bernard. Diaz pract. canon. c.*131. *num.*5. *Covarr.* 4. *Decret.* 2. *p. c.* 6. §. 8. *Molina tomo* 1. *de just. disp.*96. *pag.* 590. *in fine*, *Enriquez lib.*13. *de excommun. c.*56. *num.* 2. *in fine*. Et eò vel maximè habet verum in hoc casu, cum ii fructus sint hæretici bona; atque omnia ejus bona publicentur. Unde non approbo, quod dicit *Azor. tomo* 1. *lib.*5. *instit. mor. c.*8. 9. 3. nempe eum, qui privatur ipso jure beneficio, non facere fructus suos, etiam ante sententiam criminis declaratoriam. Quod etiam allegato *Corseto* videtur expresè tenere *Ludov. Gomez. cap.*1. *nu.*9. *de reser.* ubi ait hunc in neutro foro facere fructus suos. Nam fructus beneficii sine titulo non acquiruntur. Et sicut hoc locum habet, cum initio titulus non acquiritur; ita & cum ob crimen titulus ad non titulum reducitur. Sed meritò alii (ut refert *idem Azor. ibi*) tenent contrarium. Atque Doctores proximè allegati eum solum effectum huic privationi ipso jure inductæ tribuunt, ut lata sententia privetur delinquens fructibus à die commissi criminis perceptis. Nec est simile, quando initio titulus fuit nullus. Quia tunc nec titulus, nec possessio juvant, tamquam minùs legitima. At quando postea titulus ob crimen deperditur, remanet legitima possessio, ac justè retenta usque ad sententiam: quæ satis est ad fructus acquirendos. Sicut quando à principio non acquiritur dominium alicujus rei, est statim restituenda. At quando semel acquisitum deperditur per hæresim, legitima possessionis retentio, usque ad sententiam excusat à restitutione. Ut diximus *c.*14. *nu.*3. & 4.

11 Quòd si hæreticus ante sententiam debitum ministerium exhibuerit; quamvis aliquis posset existimare posse illum retinere fructus suo ministerio debitos, nisi in pœnam iniquæ administrationis illis privaretur in sententia. Ut de excommunicato, & irregulari sustinuimus *lib.*3. *de matrimon. disp.*51. *num.*12. *in ultima ratione*. At in hoc casu id deficit. Quippe universa hæretici bona publicantur, inter quæ computantur fructus illi ministerio debiti.

12 Tertiò deducitur, posse beneficia hæretici ante sententiam declaratoriam hæresis impetrari tamquam vacantia; & alteri conferri, hæretico non citato; utpote qui jure ipsorum caret. Quamvis possessio alteri conferri nequeat eo non vocato. Et ratio est, quia hoc ita fieri potest, quoties beneficium ipso jure perditur. Sic colligitur ex *c. Licet Episcopus* 28. *de præben. in* 6. ubi textus hoc decidit agens de beneficio vacante ob incompatibile recipientis factum. Quod *Gl. ibi verb. To non vocato*, *Francus ibi*, *in fine*, *Dominic. in fin. Flamin. de resignat. benef. lib.*3. *q.*1. *num.*37. & multis aliis citatis *Lambert. de jure patron.* 1. *p. l.* 2. *qu.* 6. *toto art.*9. & 10. *Azor. num. prac.* relatus extendunt ad casus, in quibus inducitur privatio beneficii ipso jure. Et in propriis hæretici terminis tenent *Decian. nu. praced.* relatus, & *Flamin.* alios referens *ea q.* 1. *num.*33. Qua ratione *Lambert.* aliis relatis, & *Dominic. ibidem* tradunt posse similiter patronum ad id beneficium præsentare, non citato possessore. Quia id minus est, quam conferre.

13 Quartò deducitur non admittendum *Rebuffum de pacificis possessor. num.*196. ubi ait hæreticum recuperare beneficia si statim convertatur. Quia non dicitur divertisse, qui statim convertitur. At benè id improbat *Simanc. in Enchiridio judicum*, *tit.*58. *num.*4. Nam cum eo ipso, quòd quis in hæresim incidit, sit verus hæreticus, amittit statim beneficium, sicut & alia bona. Sicut ergo non recuperat alia bona, ita nec beneficium. Nec admittendus etiam est *Eymericus in directorio Inquisitorum* 3. *p. qu.*113. *in fin.* ubi ait pœnam privationis beneficiorum non habere locum in hæreticis pœnitentibus. At *Penna ibi commento* 162. ait hoc esse valde difficile, ac relatis variis sententiis concludit extardiori, vel minùs tarda hæretici conversione pendere, an expediat illum beneficiis non spoliare. Subdit autem optimè solius Pontificis esse non spoliare prædictos beneficiis ante hæresim comparatis. Quia Pius V. (ut *num.*6. retuli) reservavit beneficia ob hæresim vacantia dispositioni sedis Apostolicæ. Atque ideò solius esse de illis disponere, tradunt *Azor. tomo* 1. *inst. moral. lib.*8. *c.*13. *qu.*8. *Thomas Zerola in praxi Episcopali p.*2. *verbo Beneficium*, *vers.*16. *Lara de capellanis*, *lib.*2. *c.*8. *num.*21.

14 Beneficia verò suspectorum, aut diffamatorum de hæresi, non vacant ipso jure, sed juxta criminis qualitatem sunt illis per sententiam privandi. Ita *Penna num. præcedenti* relatus. Quid autem de justis abjurare ob vehementem suspicionem, diximus *c. praced. num.* 12.

15 Receptatores quoque, fautores, & defensores hæreticorum, non sunt privati ipso jure, sed per sententiam privandi beneficiis ante comparatis. Ut constat ex *c. Excommunicamus*, *el* 1. §. *Credentes*, *de hæret.* Et ita docent *Covar. lib.*2. *var. c.*8. *n.*4. *Penna nu.*13. relatus.

16 Quare possunt omnes contenti *duplici num. præcedenti* renuntiare validè beneficiis in alterius favorem, antequam illis per sententiam priventur. Nec ea renuntiatio rescinderur lata sententia; ac suum robur obtinebit, etsi alius ea à Pontifice impetrarit in eventum vacationis. Quia *lib.* 7. *de matrim. disp.*42. *numero* 2. probavimus id esse generale, quoties beneficium non amittitur ipso jure, sed est per sententiam auferendum.

## CAPUT XXVII.

### Qui filii reorum criminis læsæ majestatis, divinæ, vel humanæ, incurrant pœnas ipsis jure statutas?

### SUMMARIUM.

*An hæ pœnæ habeant locum in filiis quomodocumque illegitimis? num.*1.
*Ad quotum gradum extendantur? num.*2.
*Explicatur constitutio Pauli IV. de hoc agens, nu.*3.
*Exponitur alia constitutio Federici de eadem re tractans, numero* 4.
*Quæ quæstiones disputandæ sint, num.*5.
*An sit ratio puniendi filios, infectio sanguinis ob crimen paternum? num.*6. & 13.
*An sit hujus ratio, præsumptio imitationis morum parentum? numero* 7.
*An sit ratio, ut parentes puniantur in filiis? num.*8.
*An filii concepti ante hæc parentum delicta, subjiciantur his pœnis? Refertur opinio, num.*9.
*An conferat ad filiorum mores, fuisse parentes bonos, aut malos, tempore conceptionis? num.*10.
*An hæc magis timeatur ex eo sanguine infecto, quàm ex prava educatione? num.*11.
*An efficacior sit quo ad hoc patris infectio, quàm matris? n.*12.
*An ad mores conferat lactatum quempiam esse aprava, aut bona matrice? num.*13.
*Explicatur sententia Auctoris, circa pœnas incurrendas à filiis conceptis ante parentum delictum? num.*14.
*An incurrant concepti pœ merè internam hæresim? num.*15.
*An concepti ante id crimen priventur legitima parentum? numero* 16.
*Solvuntur argumenta, num.*17.

Hacte-